

ALTERA SEQUESTRATIONIS DIVISIO RATIONE  
SEQUESTRANTIS.

POSTQVAM exposuimus de variis modis, quibus perfici sequestratio potest, sequitur iam alter locus, quo quaerebatur, quis sequestrare posset? Ex eo enim oriuntur quoque varia sequestrationis genera, licet non tam multiplicia ea sint, quam quae ex primo fonte deduximus. Neque enim tam late patet hic locus, quam prior ille, et est magis cognita et recepta in scholis haec, quam iam persequimur, diuisio. Vulgaris enim et ab omnibus fere recepta est distinctio inter sequestrationem necessariam et voluntariam, quarum haec fit voluntate partium, illa iudicis auctoritate decernitur <sup>a)</sup>. Quam quidem diuisionem nec ego improbandam puto. Attamen si debet satis huic quaestioni plenissime fieri, nec quidquam relinqui, quod deficiat in eadem, aut non satis expressum distinctumue sit (ita enim genus vniuersum in species certas partendum est ac diuidendum <sup>b)</sup>), vt nulla neque praetermittatur, neque redundet), videtur his addi posse tertia forma, quam hoc modo cum reliquis, quas diximus, eruendam censemus, vt dicamus: Sequestratio si fieri debet, aut mutua litigantium voluntate et consensu ea probatur, ob eumque suscipitur, aut inter partes\* de ea non

a) Non enim scio, quemquam, praeter GEORGIUM PERTSCHIVM in *Elem. iur. can. P. 2. L. 3. Tit. 21. §. 136.*

\* hanc distinctionem reiecit, quod quam temere factum sit, adparet ex ratione, quam adiecit, scilicet volun-

tariam non differre a deposito. Quod ipsum falsum erat, etiamsi verum esset, quod communiter dicunt, fieri omnem sequestrationem per contractum depositi.

b) vt ait CIC. in *Oratore c. 33. §. 117.*